



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Med. 31. Gen. 2. De peccatis venialibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, qui propter Superbiam nostram *Humiliavit semet. ipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Philip. 2. Petamus gratiam S. Illuminationis, quâ cognoscamus peccata nostra; & gratiam sanctæ affectionis, quâ deploremus eadem corde contrito. RECOL.

MEDITATIO XXXI.

G. II.

De peccatis venialibus.

CONG. Quomodo homines non solum fugiant mortem, sed etiam quidquid ad mortem disponit.

PRÆL. I. Considerare nos ipsos tamquam multis vulneribus, & incommodis, & morbis animæ affectos: cum quibus etiam, citra periculum mortis est molestum vivere.

PRÆL. II. Petere gratiam cognoscendi mala peccatorum venialium, eaque vitandi.

PUNCTUM I. MEM. Revocemus in memoriam innumerabilia peccata nostra venialia, quæ contigerunt cogitatione, verbo, opere, commissione, ac negligentia.

PUNCTUM II. INTEL. Ratiocinemur causas peccatorum venialium easdem esse, quæ sunt peccatorum mortalium: quando enim carnis, sensuum, amorisque proprii, ac mundani rebellio,

bellio, quando, inquam, diabolus qui est hostis exterior, per quatuor illos hostes nobis interiores, non potest animæ nostræ per peccatum mortale, inferre mortem, non cessat inferre morbos & vulnera, nisi vigiles, & cauti simus.

PUNCTUM III. INTEL. Consideremus item effectus peccatorum venialium. 1. Sunt morbi, & vulnera quædam animæ quamvis non lethalia. 2. Disponunt, imò inducunt nonnumquam ad peccata mortalia. 3. Debilitant charitatem, cæterasque virtutes, easque quasi maculant, & inficiunt. 4. Retardant ingressum ad visionem beatificam: nam *non intrabit in eam aliquod coinquinatum*. Apoc. 21. 5. Grave iudicium propterea subeundum erit, Nam ideo Deus dicit Ps. 74. *Ego iustitias iudicabo*. 6. Meremur per illa magnas pœnas, vel in hac, vel in alterâ vitâ.

PUNCTUM IV. VOL. Pudeat nos comparere coram Deo, tot nævis, sordibus, maculis deformatos: confiteamur multitudinem peccatorum illorum. Dicamus cum Propheta Psal. 138. *Imperfectum meum viderunt oculi tui*. Agnoscamus nos justè plecti tot miseriis, quas meremur: doleamus, quod tam languidè Deo servierimus, proponamus meliora.

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, petendo per Passionem ipsius misericordiam, & vires ad fortiùs debellandos quatuor illos hostes, qui tot clades nobis inferunt. Clamemus cum Job. c. 14. *Tu quidem gressus meos dinumerasti; sed parce peccatis*

peccatis meis, & cum Davide Ps. 142. Non intres in Judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Petamus gratiam per vulnera ejus. RECOL. REPET.

MEDITATIO XXII

G. III.

De Purgatorio.

CONG. Quomodo affectus esset ille homo, qui ab optimo Rege ob culpas commissas citra supplicium mortis, graviter tamen puniendus esset.

PRÆL. I. Speculari animam tamquam ream, in carcere positam, & tandem, si non æterno, at temporali igne puniendam, & purgandam.

PRÆL. II. Petere gratiam, ut poenam purgatorii debitè apprehendamus, & timore illius salutari torpor noster excutiatur, & à peccatis etiam levibus absterreamur.

PUNCTUM I. VISUS. Videamus oculis mentis carcerem illum igneum subterraneum, in quo animæ purgantur; vel ob peccata venialia; vel ob mortalia non planè deleta quoad reatum poenæ. REFL. Judicemus sequendum esse nobis consilium Christi Matth. 5. *Esto consentiens Adversario tuo (per quem intelligi potest conscientia) citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te Adversarius Judici. . . . & in carcerem mittaris. Amen dico tibi*